

tentari; quod ubi compertum Carolo, jussit Eresburgi quiescere, addito etiam Wintero medico suo, qui valetudinis curam haberet. Tam carus Regi erat Præsul, in quo D. Bonifacij, cujus tot annis discipulus fuerat, spirabat fervor in conversione barbararum gentium; ob quam relictâ etiam Fuldensis cœnobij præfecturâ ultro se Carolo adjunxerat, non dedignatus, etsi è primaria Noricæ gentis nobilitate oriundus esset, circuire vicos, docere rudem populum, & baptismo neophytos abluere. Increcente morbo Fuldam delatus hoc anno finem innocentis vitæ & laboris habuit, famâ sanctitatis apud posteros relictâ, quem Fuldenses primum Abbatem fortiti, & cum Bonifacio primum cœnobij conditorem venerantur. Dignus etiam quem Paderbornenses inter Apostolicos hujus diœcesis viros & doctores gentium colant; perinde ut à scriptoribus etiam olim Apostolus Saxonix est appellatus.

Annus Christi 780.

Hadriani Pont. 9.

Caroli M. Franc. Reg. 13.

*Annal.
Franco-
rum.*

Synodus
Lippien-
sis, seu Pa-
derbor-
nensis II.
*Acta Con-
cil. general.
Regino.
Grantzius
Gobelinus.*
Initia
quorun-
dam Epi-
scopatu-
um Sax-
onicorum
ad hunc
annum
à nonnul-
lis revo-
cantur.

Hoc felici rerum successu provocatus Carolus, tanquam modò Saxoniam terrore armorum victam, ultroq; se religioni Christianæ dedentem possideret, proximo abhinc anno octogesimo supra septingentesimum, sub initium veris, in Saxoniam cum exercitu accelleravit. Nihilque in primo accessu intra fines Westfalix antiquiùs habuit, quàm ut Eresburgum arcem inviseret, in qua primam religionis sedem posuerat, sub tutelâ Francici præsidij. Eresburgo ad fontes Luppix movit, ubi castra metatus stativa habuit. Sunt, qui ingentem rursus hominum turbam se ad Baptismum obtulisse scribant. Quamquam Paderborna ex eo anno multò celebrior synodo Episcoporum ac procerum, quam Lippiensem appellant scriptores, in qua de Episcopatibus quibusdam ordinatum, & de Catholica religione firmandâ actum. Sanè Mindensis, Halberstadiensis, aliæque Ecclesiæ ad hunc annum exordia suorum Episcopatum referunt; quemadmodum Gobelinus, celebris inter nostros scriptor, primordia Paderbornensis Ecclesiæ nostræ eodem revocat. *Erexit Carolus, inquit, quandam Ecclesiam in Paderborna, quam commisit Episcopo Wirtzeburgensi respiciendam, donec de Episcopo posset eidem loco tutò providere. Et hæc Ecclesia incepta est anno Domini septingentesimo octogesimo.* Et quid verisimilius? quàm ei parti Saxonix prospexisse primùm de Pastore, quæ prima inter ceteras D. Sturmionis operâ, baptizatis tot hominum millibus, Christi fidem amplecti cœpit; & in quam ex vicina Christianaque jam Hassiâ Sacerdotum & Monachorum operæ submitti

mitti